



5)
Wien 7 Sapln.
26. Juli 1899.

Ex libris

Hunnü, Arnstadt.

(Thuring.)

1884.



DE 8
PVLMONVM
CVM ENCEPHALO
CONSENSV

EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.

ACADEM. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON REGIAR.
BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALI,

PRO
GRADV DOCTORIS

SOLLEMNI RITV IMPETRANDO
AD DIEM XII. AVGVSTI MDCCCLXIII.
PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR
SAMVEL HENRICVS WESCHE
BEROLINENSIS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.

PALMONVM
CVM ENCEPHALO
CONSENSV

ET DECRETO
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDIS
VRO HIGVRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D O M I N O

D. PHILIPPO ADOLPHO BOHEMERO

MED. ANAT. ET CHIRURG. P. ORDINAR.

ACADEM. CAESAR. NAT. CURIOS. TEMPORE INTERVAL. PERIODIC. NEG. NON. REGIAE
HONOR. SCIENT. ET PARS. CHIRURGIC. SOCIET.

PRO

G R A D V D O C T O R I S

SOLEMNI RITV IMPETRANDO

REACTIVIS SIVE ANTI-ACIDIS

PUBLICÆ DISPUTAVIT

AUCTOR

SAMUEL HENRICVS WESCHKE

BEROLINENSIS

HALAE AD SALAM AERAE REPERTORIO



A SON ALTESSE ROIALE
ET RÉVERÉNDISSIME
M A D A M E
LA PRINCESSE
A M E L I E
DE P R U S S E
ABBESSE DE QVEDLINBOURG
ETC. ETC.

A SON ALTESSE ROYALE
ET REVERENDISSIME
M A D A M E
LA PRINCESSE
A M E L I E
DE PRUSSE
ABBESSE DE QVEDLINBOURG
ETC. ETC.

M A D A M E !

DE VOTRE ALTESSE ROIALE

J'ose mettre aux piés de *VOTRE ALTESSE ROIALE* une thèse de Médecine. Un devoir également cher & sacré exige de moi ce témoignage public de mes sentimens.

J'aurois soubaité, sans doute, de pouvoir *LUI* offrir un ouvrage plus digne d'*ELLE* & qui méritat mieux d'attirer *SES* regards. Mais enfin c'est ici le
pre-

premier fruit de mes études, & l'honneur de paroître sous VOS auspices doit en faire le mérite.

Puissiez VOUS, MADAME, agréer cet hommage!
& y trouver la preuve non équivoque du profond respect avec lequel j'ai l'honneur d'être

DE VOTRE ALTESSE ROIALE,

J'ose mettre aux pieds de NOTRE ALTESSE ROIALE
LE une thèse de Médecine. Un dessein également cher &
facile exige de moi ce témoignage public de mes sentiments.

J'aurais souhaité, sans doute, de pouvoir LUI
offrir un ouvrage plus digne de LUI & qui méritât
mieux de attirer ses regards. Mais ce n'est pas ici le
Le très humble très obéissant & très dévoué
Serveur

SAMVEL HENRI WESCHE.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

PVLMONVM

CVM ENCEPHALO

CONSENSV.

PRAEFATIO.

Inter vtilissimas, quas late patens Medicinae campus oculis nostris subii-
cit, doctrinas, ea sane, quae partium corporis humani consensum ex-
ponit, non infimum sibi vindicat locum. Siue enim Physiologiam, siue
Pathologiam, siue praxin denique medicam respexeris, tot tantaque exinde
ad Medicinam nostramque cognitionem redundant commoda & augmenta, ut
ea destitutus Medicus maxima sua laude carere videatur.

Quum scilicet Physiologus functiones corporis humani in statu eius
integro indaget, quumque in isto corporis humani statu omnes, quotquot
sunt, eius actiones ad vnum finem, tamquam radii, ad centrum tendentes,
conspirent: integra illa Medicinae pars, quam Physiologiam nominamus,
partium nostrarum consensui est innixa, & tantum abest, ut Physiologus,
eundem negligens, officio suo rite fungatur, ut potius tunc aedificium exci-
tet, quod, omni soliditate omni que firmo fundamento priuatum, facile de-
struitur, euanescit, suamque patitur ruinam. Quam vtilis itaque, quam
necessaria est consensus partium doctrina in Physiologia! Et quid de Patho-
logia,

logia, quid de practicis Medicinae partibus dicam? Qua quaeso ratione morborum effectus, symptomata, migrationes, caussarumque morbificarum, in partem, a sua sede maxime remotam, agentium, naturam agendique modum explicare, quomodo hisce omnibus, rationi & Medicinae principiis conuenienter, mederi poteris, nisi consensus partium habeas rationem?

Tanta huius consensus dignitas omnem Medicinae aetatem attentam reddidit, indeque factum est, ut veteres iam Medici, solam consulentes experientiam, hunc partium corporis humani consensum notauerint, & HIPPOCRATES famosum illud suum dicterium pronuntiauerit in Libr. de Aliment.: Confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia. Omitto nunc paucas illas voces, quae CELSO, GALENO, immo, suadente ita BAGLI-VO, PYTHAGORAE aliisque sunt hac de re elapsae, neque iis immorabor, quae alio in loco manifeste de isto partium consensu edixit HIPPOCRATES, comparans corpus humanum cum circulo, cuius descripsi principium non inuenitur, atque statuens ideo, omnes partes peraeque principium esse omnesque finem. Dolendum interea est, quod veteres illi Medicinae parentes, clariori Anatomiae & Philosophiae naturalis luce fere desituti, praeter generaliores aequae experientia petitas propositiones nihil suis monumentis inseruerint, quod a posteritate emendatum, corroboratum ulteriusque elaboratum, consensus partium cognitionem ad summum suae perfectionis potuisset euehere cacumen, atque id ita, ut nunc opera, eandem perfectiorem reddendi, supersedere facile possimus.

Verum equidem est, quod subsequentes Medicinae aetates, post benignum praecipue propulsarum innocentium scientiarum reditum, multa hac in re praestiterint. Sed tantum abest, ut haec perfectissima iudicari queant;

ant; ut potius omni aetate vixens immoderatus immerito receptae theoriae amor, praeiudiciorum summa semper tyrannis, atque eorum demum, quae posterius aevum detexit, ignorantia multa nobis hac de re dicenda relinquunt. Non iniuriam me in aliorum famam esse iudicabit is, qui, a partium studio liber, Virorum, quos ego veneror, egregia alias ideo evolvit monumenta.

Sisto TIBI hic c. l. pro virium mearum modulo elaboratam de pulmonum cum encephalo consensu tractationem, quum harum partium consensum ab Auctoribus plerumque negligi, aut minus exacte considerari viderem. Num plura, num veriora, num magis subacta de eodem dixerim? penes TE sit iudicium. Vale!

§. I.

Variorum affectuum pulmonalium effectus respectu cerebri.

Symptomatologia pathologica, praeexistentibus observationibus practica, demonstrat, quod cerebrum ipsum a diversis pulmonum passionibus afficiatur. Sic peripneumonici cephalalgii, affectibus soporosis, agrypniis, convulsionibus & apoplexia corripiuntur. Sub tussi porro, ea potissimum, quae convulsiva dicitur, tota facies rubore suffunditur, arteriae circa tempora saliunt, leuior oritur subinde vertigo, subiecta, quae tussis adfligit, satis distincte in interioribus cranii partibus fortiorem arteriarum pulsationem percipiunt, inque iisdem sinus durae membranae elevatio observata multumque sanguinis, in vulnere capitis magno ope convulsivae tussis expressi, visum est. Similia ferme phaenomena ab alia, a tussi distincta, valida expiratione & clamore oriuntur. Quibus dein subiectis respiratio valdopere est laesa, in iis & congestiones sanguinis versus caput, & oculorum splendores, & insultus apoplecticos atque his similes cerebri affectus haud infrequenter deprehendere licet. Haemoptyci quoque ante haemoptyses insultum de graaviuo capitis dolore saepe numero conqueruntur,

tur, accedentibus prae primis aliis in simul causis, sanguinis ad cerebrum raptum producentibus. Quis denique ignorat, quod in subiectis, ad phthisin inclinantibus, atque ex pulmonibus affectis, genae rubeant varique dein, vltius scilicet progrediente morbo, cerebri compareant affectus? Tandem & id non praetermittendum hic esse arbitror, quod experientia doceat, subiecta, ad congestiones sanguinis versus caput procliuia, saepius gemitus edere, indeque non leue experiri leuamentum. Vid. passim de his *Clar. REGAE Tract. med. de sympathia seu consensu partium corp. hum. ac potiss. ventr. in statu morbofo. Cap. XVII. pag. 310. Illustr. b. m. HOFFMANNI Medic. system. ration. Tom. IV. P. I. Sect. II. Cap. VI. Illustr. b. m. ELLERI Obseruat. de cognosc. & cur. morbis praesertim acut. Sect. VII. pag. 182 Illustr. de HALLER Elem. Physiol. corp. hum. Tom. III. Libr. VIII. pag. 298. seqq. Tom. IV. Libr. X. Sect. V. §. XXXVIII. pag. 171. sequ.* Ex his itaque, credo, tutissime colligi potest, pulmones affectos afficere etiam cerebrum, atque ab istis mutatis mutari quoque hoc, omnium viscerum procul dubio nobilissimum praestantissimumque.

§. II.

Morborum cerebri effectus respectu pulmonum.

Verum enim vero cerebrum quoque, si mutatum fuerit, pulmones diuersa ratione afficit. Cuius iam rei pauca excitabo testimonia. In phrenitide respiratio est tarda & profunda (*Illustr. ELLERVS I. c. Sect. VII. pag. 160.*). In apoplexia adest valde operosa respiratio, cum stertore vi quasi expulso & salua spumescente ante os collecta (*IDEM Sect. XIV. pag. 287.*). In syncope respiratio deprehenditur obscura, in affectibus soporosis nonnumquam stertorosa, in epilepsia suffocatoria cum spuma, in terano difficilis, atque in melancholia anxia, laboriosa, suspiriis & gemitu frequenti interrupta. Vid. *Illustr. b. m. HOFFMANNVS I. c. Tom. IV. P. IV. Cap. II. VIII. IX. P. III. Sect. I. Cap. I. BOERHAAVII de cognoscend. & cur. morbis Aphorism. §§. 1008. 1045. 1077. 1094. Celeb. CARTHEUSERI Fundam. Patbol. & Therap. Tom. I. Sect. III.* Interim diffidendum non est, dari cerebri morbos,

bos, quibuscum nulla respirationis laesio stipata est, affectuum nonnullorum soporosorum & catalepticos exemplo (*Illustr. b. m. ROEMANNVS l. c. Tom. IV. P. IV. Cap. II. Tom. II. P. III. Sect. I. Cap. IV.*), licet BOERHAAVIUS (l. c. §. 1039.) adfirmet, in catalepsi respirationem & pulsus superesse quidem, at plerumque leues. Docuisse mihi sufficit, cerebri morbos frequenter mutare pulmones horumque actionem, respirationem puta, quod ex allatis sufficienter patet.

§. III.

Consensus partium.

Quando duae corporis humani partes ita sunt connexae, ut vnus mutationes rationem mutationum alterius in se contineant: de his tunc partibus Medici dicunt, eas esse *consentientes* seu, quod idem erit, *consentire*. *Partium* itaque duarum corporis humani *consensus* Medicis ea est earum connexio, qua fit, ut mutationes vnus mutationum alterius rationem in se contineant. Mutationes istae vel cum statu sanitatis conspirant, vel non. Si prius: inter partes consentientes obrinet *consensus actionum*. Quodsi vero posterius fuerit: partes consentientes intercedit *consensus passionum* seu *sympathia*. Confer. *Celeb. REGAE Tract. cit. Cap. I.* Poterit ex adductis determinari facile, quid sit *mutuus partium consensus*? quaque in re Medici a Philosophis in definiendo consensu recedant? Philosophi scilicet consensus vocem ad res imperfectas, quatenus sunt imperfectae, numquam adplicant, Medici vero aequae ad integrum ac laesum corporis humani statum eandem retorquent.

§. IV.

Pulmones inter & cerebrum obrinet consensus.

Morbi pulmonales morbos cerebri, atque hi vicissim morbos, pulmonibus adscribendos, producant, prouti §§. I. II. demonstraui. Productio morbi in parte corporis humani, antea sana, est mutatio huius partis, cum sanitatis statu non conspirans, atque id, quod vel mutationem producit in alio, vel mutatur ab alio, cum eo, quod vel mutatur, vel mutatur, est *connexum*. Ergo primo constat, pulmones & cerebrum

ita esse connexa, ut mutationes unius morbosae morborum alterius rationem in se contineant, seu, quod perinde erit, pulmones inter & cerebrum mutuam consensum passionum, vel mutuam sympathiam & compassionem obtinere (§. anteced.). Quoniam vero, cerebro & pulmonibus sanis existentibus, morbosae istae mutationes neque in illo, neque in his comparent (suppono enim, nullas alias horum morborum adesse causas): necesse est, ut viscera haec sub sanitatis vigore ita sint connexa, ut ob mutationes unius in altero morbi praecaveantur, functiones vero naturales promoueantur. Vnde concludo, cerebrum & pulmones inter consensum actionum quoque obtinere (§. anteced.). Quae de re, a posteriori comprobata, nunc exactius differendum erit.

§. V.

Causae huius consensus generalis consideratio.

Id scilicet curandum erit, ut causas huius mutui consensu cognoscamus atque ex his cognitis phaenomena, in corpore humano adparentia, explicemus, id tam Medici dignitate, quam Medicinae cum Philosophia nexu requirentibus. Verum eo magis quoque admittamur & caueamus necesse est, ne a veritatis tramite deflectamus & quidquam pro certo, proque rite stabilito venditemus, quod vel plane est falsum, vel incertam minusque corroboratam redolet hypothefin. Quodsi ergo mutuam istum pulmonum & cerebri consensum consideramus, quodsi prima Medicinae fundamenta in memoriam reuocamus: facile & absque omni opera innotescet, eundem causis externis, in corpus humanum agentibus, proxime inniti non posse, quum partim istae non nisi tunc, quando ab iisdem prius partes corporis nostri mutatae sunt, viscera nominata mutant, partim etiam modus, quo causae externae hunc consensum ita producerent, assignari nequeat. Proxima itaque huius consensu causa in corpore humano ipso quaerenda erit. Quoniam nunc in corpore nostro nihil, a quo pulmonum cum encephalo consensu proficisci posset, praeter solida & fluida, quae cum istis visceribus vel propius sunt connexa, vel in eadem agunt, vel eorum efficiunt structuram, detegere valemus: ex structura horum viscerum, ex fluidorum,

dorum, per ea mouendorum, natura & indole, atque ex his determinata illorum functione iste, quem diximus, consensus deduci debet. Iam vero de pulmonibus eorumque actione primo faciam verba.

§. VI.

Breuis pulmonum anatomica consideratio.

Sunt nempe *pulmones* viscera duo, inaequalia, in thoracis cauitate sita, pleuram & perfecte & sola repletia, ad coni valde irregularis figuram accedentia, libera ferme, soloque vasorum & ligamenti, quod membrana pleurae externa, ad pulmonem abscedens, ad septi transuersi sedem efficit, vinculo naturaliter retenta. Ita *Illustr. de HALLER in prim. lin. physiol. Cap. X. §. CCLXII. pag. 149. & Element. Physiol. corpor. hum. Tom. III. Libr. VIII. Sect. VII. §. IX.* Extimum pulmonum velamentum a pleura prouenit (*IDEM Elem. Physiol. l. m. c. §. X.*); ipsi autem pulmones ita diuiduntur frequentissime, vt dexter primo in tres, sinister in duos abeat lobos (*IDEM prim. lin. phys. §. CCLXIII*), dein vero vterque longa serie in minores minimosque findatur, donec lobuli resoluantur in cellulas membraneas exiguas, aëre in adulto homine plenas, variae figurae, quae inter se inuicem communicant (*IDEM l. m. c. §. CCLXIV.*), quapropter statuit etiam *Illustr. de HALLER*, fabricam pulmonis propriam fieri ex lobis, per media interualla diuisis, in quibus cellulosa laxior est (*l. m. cit.*). Praeter haec autem, vasa pulmonum adnotanda sunt, *aërisera* nimirum, *nerui*, *lymphatica*, *sanguisera*, eaque tam *arteriosa*, quam *venosa*. Nervos pulmonales, neque multos, neque magnos, ex octauo pare, eius recurrente, plexu cardiaco & ramo intercostali proficiscentes atque bronchia vasaque sanguisera concomitantes, descripsit fusius *Illustr. de HALLER Elem. physiol. corp. hum. l. c. §. XXV.* Vasa pulmonum lymphatica reticulum sub membrana exteriori in cellulosa tela subiecta faciunt, quod praeter alios vidit etiam *Illustr. de HALLER*, qui notat insuper, se ramos, ad truncum venae pulmonalis & glandulas bronchiales abeuntes adque ductum thoracicum sese conferentes, vidisse (*l. m. c. §. XXIV.*). Aërisera porro pulmonum vasa ex aspera arteria proueniunt, quae in duos ramos, qui *bronchi* nominantur,

diuisa, & dextrum & sinistrum adit pulmonem, dein autem in innumera-
biles, euanescentes sensim prae exiguitate, ramorum ramulos ita scin-
ditur, vt minimam quamlibet pulmonum partem *bronchium* penetret,
quorum omnium structuram, loca, vasa glandulataque exactius designa-
uit *Illustr. de HALLER I. c. §. XI. seqq.* Vasa tandem pulmonum sangui-
fera tam arteriosa sunt, quam venota. Arteria pulmonalis, e dextro
cordis ventriculo oriunda, postquam prodiit e cordis carne in dextrum
& sinistrum abit ramum, quorum quilibet, pro ratione scilicet lobulo-
rum & bronchiorum, in duos tresue primo praecipuos, postea in in-
numerabiles furculos diuiditur. Ex ista arteria sanguis in venas transit,
humor autem tenuior in bronchi & vesicularum cauea asperamque ar-
teriam exhalat, ex broncho ad venas pulmonales facile tendens. Ve-
nulae nempe, ab arteriis pulmonalibus productae, sensim in truncos
confluunt, bronchi arteriarumque comites, denique vero in quatuor
venas mutantur, quarum duae sinistrae erunt, duae vero dextrae, quae
omnes demum in sinistra cordis auricula, formato prius sinu, coeunt
(*Illustr. de HALLER I. m. c. §. XIX. seqq.*). De vasis autem bronchialibus
cf. *Illustr. de HALLER I. c. §. XVII. seq. Illustr. BOEHMERVS in Obseruat.*
anatom. rarior. Fascic. I. Praefat. N. XIX. pag. XII.

§. VII.

Respiratio.

Docet experientia, aërem semper pulmonibus in nato homine in-
existere, ex Physiologia vero & Anatomia cognoscitur, non deficere
in homine potentias, pectoris cavitatem & dilatantes & constringentes,
quorum *diaphragma, muscoli intercostales, trapezii, scaleni, serrati supe-*
riores, pectorales, leuatores parui, mastoidei, ceruicales descendentes, abdo-
minales, sacrolumbaris, latissimus & quadratus (Vid. *Illustr. de HALLER*
in prim. lin. Physiol. §§. CCXC. CCLXXXI. CCLXXXV.), atque de-
mum ipsa *bronchiorum & asperae arteriae fabrica* pertinent. Pluribus
cf. *IDEM in Elem. Physiol. corpor. hum. Tom. III. Lib. VIII. Sect. IV.*
Nunc autem ex Physica constat, aërem esse fluidum elasticum, quod,
sublata resistentiae vi, vndique sese expandit. Quando itaque pectoris
a viri-

viribus agentibus dilatatur cauitas: necesse tunc est, vt aër, pulmibus continuo inexistens, compressus antea, seè expandat atque pulmones distendat. Tunc vero specificè euadit leuior, cumque exteriore aëre, qui corpus nostrum ambit, aequilibrium seruare nescit. Hic ergo, irruens in loca, minus resistentia, os atque nares subit, atque pulmonibus nunc infertur, qui actus *inspiratio* nominatur. Quodsi contra ea a viribus, prioribus potentiis contrario agentibus, thoracis cauitas constringatur: fieri tunc aliter non potest, quin et pulmones comprimantur, ideoque aër, qui ad eosdem penetrauerat, cum vi per patentia oris nariumque loca exprimat, quae actio a Medicis *expiratio* dici solet. Verum respiratio absoluitur aëris in- & expiratione. Ergo pulmones inferuiunt respirationi.

§. VIII.

Reflexus sanguinis a capite respirationis ope mutatur.

Quum sub expiratione pulmones collapsi sint (§. anteced.), hinc vero vasa pulmonum arteriosa comprimantur (§. VI.), sanguis porro e cordis ventriculo dextro ad pulmones ferri debeat (§. m. cit.), a vena caua illuc allatus (per Physiol.): necesse est, vt sub expiratione sanguis paullo difficilior cordi per venam cauam infundatur, quam sub inspiratione. Redeunti itaque per capitis venas sanguini cerebroso sub expiratione obex ponitur, quum sub inspiratione absque eo impedimento refluat (per anteced.). Hinc expiratio sanguinis refluxum a capite impedit, quem inspiratio contra ea per haecenus dicta promouet. Innumera hinc phaenomena explicari possunt, ab *Illustri de HALLER* passim adnotata, vt superfluum omnino ducam, haec ad corroborandam propositionem, satis exacte demonstratam, repetere. Id vero diffiteri nolo, me vnicam tantum huius phaenomeni attulisse causam, solis pulmonibus competentem, quum certum sit, alias simul conspirantes dari illius causas, vix tamen pulmonibus tantum adscribendas, quorum hic vero solum rationem mihi habendam fuisse iudico. Confer. *Illustr. de HALLER Elem. Physiol. corp. hum. Tom. II. Libr. VI. Sect. IV. §. VIII. seqq. Tom. IV. Libr. X. Sect. V. §. XXXVIII. Memoires sur la Nat. sensibl. & irritable.*

tabl. des parties du Corps animal Tom. II. Sect. IV. pag. 158. seqq. Quo fortior nunc est exspiratio: eo fortior eoque grauior est resistentia pulmonum erga sanguinem, per arterias pulmonales hisce visceribus inferendum. Ergo quo fortior erit exspiratio, eo difficilius sanguis cerebrosus per capitis venas redire debet. Caue vero existimes, contrarium aequè generatim de fortiori inspiratione praedicandum esse. Quum enim inspiratio tam fortis tamque diu protracta existere queat, vt ea circulum sanguinis per pulmones impediatur maxime (per Physiol.): absque difficultate perspicitur, quod fortior quaedam inspiratio subnasci queat, a qua non tantum non sanguinis a capite refluxus proportionata ratione promouetur, verum etiam multo magis quam ab expiratione impeditur. Atque hinc fit, vt a fortissima diuque extensa inspiratione eadem oriuntur in facie & cerebro phaenomena, quae alias a paullo fortiori producuntur expiratione. Rectè hinc adfirmat *Illustr. de HALLER* (l. c. Tom. II. l. c. §. X.), a vehemènti inspiratione *sufflari rubore faciem, & rubescere, & frontis venas turgere, totumque corpus vndique tumere, indeque etiam venas in cerebro, & alibi in corpore passim ruptas esse, atque hunc ideo nixum valde esse periculosum.*

§. IX.

Resolutio sanguinis ad pulmones vecti.

Pulmones, ostendente id descriptione §. VI. a nobis suppeditata, viscera sunt cordi maxime vicina. Sanguis itaque, a corde expulsus, magno cum impetu ad arterias pulmonales defertur magnaue cum vi per easdem meare cogitur. Quando autem sanguinis motus per arterias increfcit, sanguinis etiam resolutio augmentum capit (per Physiol.). Hinc sanguis, ad pulmones vectus, resolui debet. Huic causae, satis notabili, alia adhuc, haud negligenda resolutionis causa, accedit. Arteriae nempe pulmonales in minimos tandem mutantur ramulos, quos sanguis, absque diuisione in minimas particulas, transire nequit (per Physiol.). Denique pulmonibus eodem cum iure resolutio sanguinis ac aliis visceribus adscribenda erit, abundant enim arteriis, & sanguis, ob continuum eorundem motum, quolibet ferme temporis momento con-

quassa-

quassatur. Quae omnia coniuncta docent, sanguinem in pulmonibus non tantum resolui, sed magis etiam, quam in aliis visceribus, resolui. Numquid vero chylus, statim pulmonibus inferendus, nouam huius resolutionis suppeditat causam? Suadent id saltem salinae particulae, in mixtione chyli contentae.

§. X.

Soliditas sanguinis maior ab actione pulmonum.

Soliditatem corporis cuiusdam ex copia particularum mouendarum dimetiuntur Phyci, ita, vt corpus quoddam eo solidius statuatur, quo copiosiores sint particulae istae mouendae sub certo quodam volumine. Corpus itaque eo solidius euadit; quo magis diuiditur. Nunc autem pulmones sanguinem aduectum resoluunt (§. anteced.). Quare etiam efficient, vt maiorem sanguis soliditatem nanciscatur. Resolutio enim nihil aliud est, nisi corporis cuiusdam diuisio.

§. XI.

Sanguis sub suo per pulmones itinere mobilior redditur.

Sanguis corpus est fluidum. Fluidum vero corpus est eo magis mobile, quo maior est, quae in eodem obtinet, fluiditas. Quidquid ergo sanguinis fluiditatem auget, id quoque eius mobilitatem maiorem reddit. Pulmones sanguinem resoluunt (§. IX.), atque resolutio corporis fluidi maioris illius fluiditatis erit causa (per Phyc.). Quodsi itaque verum fuerit (quod inficias ire non possumus), quod sanguis sub transitu per pulmones resoluatur: largiamur etiam necesse est, sanguinem sub suo per nominata modo viscera itinere maiorem contrahere mobilitatem.

§. XII.

Cerebrum eiusque functio.

Diximus functionem pulmonum horumque in sanguinem transeuntem actionem. Cerebri nunc functio paucis erit consideranda. Ar-
cuatus aortae truncus adscendens, tres arteriosos ramos adscendentes

fatis capaces emittit. Primus sistit carotidem dextram & subclaviam dextram. Secundus dicitur carotis sinistra. Tertius denique subclavia sinistra nominatur. Carotides dein sub ulteriori progressu in externas & internas diuiduntur. Externae carotides ramos dant laryngi, pharyngi, maxillis, ossis hyoidis musculis, linguae, labris, ori aliisque partibus capitis externis. Internae vero cranium adeunt atque multis flexibus & anastomosibus cerebrum eiusque membranas, oculos, nares & aures internas perreptant. Vid. *Illustr. de HALLER prim. lin. physiol. Cap. XII. §. CCCXXXI. Celeb. b. m. HEISTERI Comp. anatom. n. 293. pag. 157.* Subclaviae vero arteriae vtrinque vertebrales arterias producunt, quae, miris prius factis ambagibus, cranium subeunt cumque carotidibus coniunguntur. Conf. HEISTERVS l. m. c. Patet exinde, fatis insignem sanguinis quantitatem propelli ad *cerebrum*, quod partem corporis humani, a crano testam, duplici substantia, corticali nimirum & medullari, gaudentem atque ex innumerabilibus, tenuissimis subtilissimisque tubulis constantem, designat. Quum porro in Physiologia ostendatur, tenuissima haec totius corporis humani vascula sensim ab arteriis, ad cerebrum tendentibus, proficisci & oriri: sequitur, subtilissimos hocce tubulos subtilissimi quoque fluidi secretioni inferuire. Quum etiam nervi nihil sint, nisi fasciculi medullofi (*Illustr. de HALLER l. c. §. CCCLXX.*), atque hoc modo fabrefacti, ut liquidum ab arteriis corticis cerebri recipere possint (IDEM *Elem. Physiol. corp. hum. Tom. IV. Libr. X. Sect. VIII. §. XX.*), ad alias corporis humani partes deferendum (IDEM *prim. lin. Physiol. l. m. c.*): colligimus inde, fluidum, in cortice cerebri & medulla secretum, nervis infundi horumque ope cum reliquis corporis humani partibus communicari. Atque hac ratione vascula corticis cerebri erunt secretoria, nervi vero excretoria cerebri vascula. Tandem vero omnis fere (excepta scilicet parva illa quantitate, quae a capite ad vertebrales venas conuenit) cerebri sanguis in venas iugulares confluit, rectissima inde via ad cor reducendus (*Illustris de HALLER l. m. c. §. CCCLV.*). Functio itaque cerebri in eo consistere debet, ut nempe primo fluidi subtilissimi secretioni adque nervos delationi inferuiat, dein vero sanguinis superflui ad cor reditum, quantum potest, promoveat. Consentiant cum his plurimorum Physiologorum iudicia.

§. XIII.

§. XIII.

Fluidi neruei natura et utilitas.

Fluidum, cuius secretionem §. anteced. considerauimus, *nerueum* a Physiologis nominatur, eiusque, vt notum est, natura, existencia & utilitas aeternam fere litem Medicos inter concitarunt. Quum de existencia huius fluidi sufficienter iam dixerim (§. anteced.): pauca adhuc de natura eius & utilitate adiciam, non eo quidem fine, vt noua his de rebus afferam, sed vt limpidum tantum subsequendum propositionum aperiam fontem. Tenuissimum hoc esse fluidum non ortus tantum (§. anteced.) docet, verum ex eo quoque patet, quod omnem oculorum tam sibi relictorum, quam armatorum fugiat aciem. Nunc autem fluida tenuissima, praeunte Physica, notabili gaudent elasticitate suntque ex solidissimis pariter atque mobilissimis partibus composita. Fluidum ergo nerueum debet esse fluidum tenuissimum, fluidissimum, elasticum atque ex solidissimis mobilissimisque partibus constans. Cf. BOERHAAVII *instit. med.* §. 277. quamuis elasticitatem in hoc fluido abesse iudicet vir summus. Quod denique utilitatem liquidi neruei attingit: facili illa negotio ex vulgari experientia confirmatur & determinatur. Quum enim a neruo ligato, aut generatim ita affecto, vt fluidum, quod neruum irrorat, ad partem muscularem, aut sensibus destinata, vehi nequeat, tam motus muscularis, quam sensus tollantur: nullum est dubium, quin fluidi neruei utilitas in eo consistat, vt ope influxus illius & musculi motus, & organorum sensoriorum vigor producat. Omitto hic alia, vel parum firma, vel nimis longa huius rei argumenta.

§. XIV.

Pulmones respectu actionis cum encephalo consentiunt.

Hactenus dicta nunc quidem ad materiem, quam euoluendam mihi sumsi, adplicanda sunt. Demonstratum est (§§ XII. XIII.), in cerebro secerni fluidum elasticum, tenuissimum, cuius particulae & solidissimae sunt & mobilissimae. Quum etiam secretio huius fluidi cum fanitatis statu conspiret (§§. m. cit.): sequitur, omnem partem, a cerebro distinctam, atque secretionem saepe iam nominati fluidi promouentem,

cum cerebro respectu actionis consentire (§. III.). Verum pulmonum actione non tantum sanguis ad cerebrum promouetur (§. VI. & per Physiol.), sed sanguis etiam tenuior, fluidior, mobilior & solidior red- ditur (§§. IX. X. XI.). Pulmones itaque efficiunt, ut sanguis, maxi- me ad fluidi neruei secretionem praeparatus, cerebro inferatur. Non- ne ea propter secretionem fluidi neruei promouebunt? Patescit ex his causa, qua fit, ut pulmones cum encephalo respectu actionis consen- tiant. Eadem veritas erit quoque de cerebro demonstranda, ut mu- tuum hunc esse consensum intelligamus.

§. XV.

Cerebri cum pulmonibus consensus respectu actionis.

Pulmonum functio in respiratione consistit (§. VII.), quae ergo sine dubio mutatio est pulmonum cum sanitatis statu corporis humani conspirans. Haec vero functio pulmonum tam perfici absque muscu- lis nequit (§. VII.), quorum actio ab influxu fluidi neruei repetenda erit (§. XIII.), cuius liquidi fons cerebrum est (§§. XII. XIII.), quam a congruo sanguinis per pulmones motu proficiscitur (per Physiol.), cuius refluxui a capite inferuiunt venae iugulares & vertebrales (§. XII.). Cerebrum ergo in pulmonibus mutationes producit, quae cum integro corporis nostri statu conspirant. Quamobrem etiam encephalum cum pulmonibus respectu actionis, ab istis visceribus producendae, consen- tit. Quum iam idem de pulmonibus respectu cerebri demonstratum sit & euictum (§. anteced.): sequitur, pulmones inter & cerebrum mu- tuum consensum respectu actionum obtinere, cuius nunc causae ex iis, quae allata sunt, sufficienter innotescere possunt. Confer. §. V.

§. XVI.

Sympathiae cerebri cum pulmonibus generalis causa.

Nulli corporis humani parti morbus inexistit, nisi functio huius partis inde a morbo laedatur. Quando itaque concipimus, morbum quendam pulmonalem subortum esse, concipiamus simul respirationem laesam necesse est (per anteced. & §. VII.). Verum enim vero respira-
tio

tio laesa mutationem quandam respectu sanguinis, ad caput deferendi & ab encephalo resluentis, producit semper, licet gradu diuersam (§§. VIII. XIV.). Sed mutatis sanguinis natura eiusque ab encephalo reditu, non poterit non mutatio in ipso encephalo subnasci (per Physiol.), quae morbosa euadit, quando causa, eandem determinans, est morbosa (per Patholog.). Ergo respiratio laesa mutationem quandam in encephalo caussatur, quae cum statu sanitatis non conspirat. Atque hinc verum quoque erit, quod pulmones inter & cerebrum sympathia obtineat (§. III.), cuius causa erit respiratio laesa indeque pendens mutatio, sanguinis ad caput delationem eiusque ab encephalo reditum maxime respiciens (per anteced.). Vt vero haec paullo exactius constant: iuuabit, generaliora haec ad specialiora adplicare.

§. XVII.

Explicantur inde (§. anteced.) phaenomena quaedam.

Quaeritur scilicet primo: quomodo fiat, ut ad peripneumoniam cephalalgiae, deliria, agrypniae, adfectus soporosi, conuulsiones & apoplexiae accedant (§. I.)? Peripneumonia, ut nota repetam, inflammatio est pulmonum, cum febre acuta inflammatoria connexa. Quum itaque quaecumque inflammatio coaceruationem sanguinis in parte inflammata sibi vindicet, docente hoc Pathologia: sub peripneumonia ingenti sanguinis infarctu laborabunt pulmones, cui pungens & lancinans dolor ob eandem causam accedere debet. Quoniam porro mota pars inflammata grauius doler, atque congestio sanguinis versus pulmones, talis praecipue, qualis sub peripneumonia concipi debet, respirationem valdopere laedit (per Path.), respiratio praeterea parua frequens simul est (per Physiol. pr.): necesse est, ut sub peripneumonia vera respiratio laboriosa, difficilis, dolorifica, parua & frequens adsit. Confer. *Illustr. l. m. ELLERVS l. c. Sect. VII. pag. 182.* Respiratio actio est composita ex inspiratione atque expiratione. Concipe ea propter primo, inspirationem esse difficilem. Inspiratio difficilis esse nequit, nisi status pulmonum, ipsi oppositus, diutius duret. Status vero, inspirationi oppositus, erit exspiratio (§. VII.). Sub omni itaque inspiratione difficili expirationis status diutius protrahendus esse debet. Hinc autem refluxus sanguinis a capite impeditur (§. VIII.),

quo fit, ut, perdurante sanguinis, per arterias promoti, adfluxu, vasa encephali nimium a sanguine distendantur atque hinc congestioni obnoxia reddantur (per Patholog.). Difficilis ergo inspiratio congestionem sanguinis versus caput procreabit. Fac vero dein expirationem difficilem esse redditam: necesse tunc est, ut, ob similem rationem, status ipsi oppositus, inspiratio scilicet, diutius protrahatur. Quoniam nunc inspiratio, nimis diu protracta, sanguinis per pulmones motum valde impedit, ideoque efficit, ut antecedens sanguinis vnda subsequenti potenter renitatur (per Physiol.): sequitur, ab eiusmodi inspiratione eadem debere phaenomena suboriri, quae ab expiratione diu protracta suscitari, modo attulimus (§. VIII.). Quamobrem difficilis quoque exspiratio congestionum sanguinis versus caput facilis existat causa necesse est. Ergo, si utramque actionem difficilem esse ponamus, sanguis in encephalo coaceruari debet, quod itaque sub peripneumonia quoque continget (per anteced.). Hinc vero pendunt cephalalgiae, vertigines, deliria, agrypniae, affectus soporosi, convulsiones & apoplexiae, pro diuersa scilicet congestionis, sanguinis, locorum adsectorum aliarumque, quae circumstant, rerum ratione (per Pathol.). Non mirandum hinc erit, quod designata symptomata peripneumoniae comites sese adiungant. Nihil nunc dicam de accessoriis horum phaenomenorum causis, quum de his mihi dein differendum sit.

§. XVIII.

Tussis phaenomena explicantur.

Quaeri secundo potest: *quomodo fiat, ut tussis descripta §. I. phaenomena producat?* Haec ex dictis facile intelliguntur. Tussis supponit validam quandam expirationem. Atqui sub fortiori expiratione fortius etiam refluxui sanguinis ab encephalo & capite suboritur impedimentum (§. VIII.). Ergo sub omni tussi sanguinis congestiones versus caput contingunt, eademque eo grauiiores erunt, quo maior est tussis (§. XVII.). Quare tussis potissimum convulsiva graues congestiones sanguinis versus loca nominata efficiet (§. I.). Hinc vero omnia symptomata, §. I. recensita, explicantur, vertigo nimirum, arteriarum fortior pulsatio, faciei rubor aliaque exinde deducenda v. g. vasorum encephali ruptura, eleuatio sinus durae membranae, sanguinis sub magno vulnere capitis excre-

tio

tio (§. I.). Cum tussi ergo omnes validae expirationes hac in re conuenire debent. Reuoco huc *clamorem*, *sternutationem* potissimum atque ex parte *vomitum*, quum hunc a respiratione separare non oporteat (*Illustr. de HALLER Elem. Physiol. corp. hum. Tom. III. L. VIII. Sect. IV. pag. 312. §. XL.*). Hinc vero tristes emeticorum effectus, ab auctoribus obseruati, innotescunt.

§. XIX.

Reliquorum morborum pulmonalium effectus.

Reliqua, huc pertinentia, licebit mihi in compendium redigere, cum idem ferme fundamentum agnoscant. Dictum est §§. VIII. XVII. fortiorum expirationem nimisque diu protractam inspirationem sanguinis versus caput producere congestionem. Omnes itaque morbi pulmonales, quibuscum eiusmodi aut exspiratio, aut inspiratio connexa existit, eandem mutationem in encephalo efficient. Neque mirandum ideo erit, quod pulmonum laesiones atque haemoptysicos insultus signa sanguinis, in encephalo & capite congesti & coaceruati, prodant (§. I.). Quum *gemitus* lenta sit & diuturna inspiratio (*Illustr. de HALLER l. c. §. XXX.*), sub inspiratione vero sanguinis reductus ab encephalo & capite adiuuetur (§. VIII): sequitur, gemitum subiectis, congestioni sanguinis obnoxiiis, leuamentum adferre oportere. *Risus* porro incipit ab inspiratione, quam minores & imperfectae excipiunt expirationes (*Illustr. de HALLER l. m. c. §. XXXVII.*). Fieri hinc facile potest, vt inspiratio ista diutius duret, quum exspiratio minus plena sit, vnde de in vena caua superior nimium adimpletur (*IDEM l. c. pag. 307.*), sanguinis congestio in capite oboritur (§§. VIII. XVII.) atque tristes illi risus excedentis effectus subnascuntur. Ex iisdem fontibus aliarum respirationum mutatarum phaenomena, encephalum & caput adicientia, deriuari debent, siuis modo memores temper, plures causas accessorias hic non possibiles solum esse, sed frequentissime etiam existere, quarum rationem habere nolui, quum mihi nunc tantum de pulmonum cum cerebro consensu dicendum erat.

§. XX.

Causae horum phaenomenorum accessoriae.

Finem in scribendo vix reperirem, si omnia, quae excitari possent, cerebri cum pulmonibus sympathiae testimonia recensere atque explicare

re

re vellem. Medicis haec scripta sunt, qui itaque ex allatis reliquos per observationes comprobatos calus enodabunt, a me nunc omitendos, ne cramben bis coctam recoquere videar. Verum accessorias, passim a me iam notatas, horum phaenomenorum causas omittere nequeo, quum inde multa, quae iam explicata in antecedentibus phaenomena respiciunt, vltius determinari possint. *Accessoria* horum phaenomenorum *caussa* mihi dicitur *caussa*, quae, praeter descriptam pulmonum conditionem, certi cuiusdam effectus, in encephalo comparentis, rationem in se continet; neque immerito hic hanc vocem eligi posse credo, quum *causam* effectus cuiusdam, cum alia simul agentem & ad eundem finem tendentem, alterius *accessoriam* nominare maxime inter Medicos sit sollemne. Harum causarum praecipuas & magis proximas potissimum afferam, remotarum considerationem tam Physiologorum, quam Pathologorum industriae relinquens. Refero huc primo *febrem*. Omnis scilicet febris sanguinis versus caput congestionem supponit (per Patholog.); accedens ergo febris ad respirationem quomodocunque difficilem & ita comparatam, vt sanguis inde in encephalo concernuari debeat, *caussa* erit *accessoria* huius congestionis (per anteced.). Peripneumoniam ergo & phthisin non ob solam respirationis laesionem ista phaenomena (§. I.) subsequuntur. Porro huc pertinet *dolor*. Doloris enim effectus sunt (BOERHAAVII *Aphorism. de cognosc. & cur. morb.* §. 226.): vigilia, febris, calor, convulsio, vnde encephalum afficitur (per Pathol.). Dolor itaque, cum morbis pulmonalibus connexus, morborum cerebri, ab impedita respiratione pendentium, *caussa* accessoria existere potest. Istis vero morbis pulmonalibus peripneumonia potissimum & vulnera accenseri debent. Huc dein trahendus est notabilis iste *pulmonum cum diaphragmate consensus*. Quando enim septum hoc transuersum contrahitur, fit tunc, vt venam cauam stringat & hanc cum toto thorace contrahat atque comprimat (*Illustr. de HALLER Elem. Physiol. corpor. hum. Tom. II. Libr. VI. Sect. IV. §. X.*). Noua itaque refluxum sanguinis a capite impediens *caussa* quaerenda erit in contractione diaphragmatis (§. VIII.), quod cum experimentis consentit (IDEM l. c. & *Memoir. sur la Nature sens. & irrit. des part. du corps anim. Tom. II. Sect. IV.*). Quoniam nunc diaphragma tam a morbis pulmonalibus, quam ab aliis mutationibus, quae in hisce visceribus contingunt,

gunt, ita affici queat, vt vel diutius, vel grauius contrahatur: patet, diaphragmatis cum pulmonibus consensum mutationibus cerebri, ab affectis pulmonibus oriundis, fauere. Tussis, clamor, sternutatio, vomitus, risus docent, diaphragma cum pulmonibus consentire. Tandem hisce omnibus adhuc adiungo, *quamcunque aliam causam, congestioni sanguinis versus caput inseruientem*, siue nunc haec ad dispositionem haereditariam, siue ad debilitatem acquisitam, siue ad structuram corporis deformem, siue denique ad alium morbosum statum reducenda veniat. Ex his iam, vt arbitror, responderi poterit ad quaestiones: cur inde a pulmonibus modo mitiores, modo grauiores compareant, cerebrum afficientes effectus? cur hi a se inuicem adeo diuersi sint? cur denique sub peripneumonia potissimum saeui adeo effectus excludantur?

§. XXI.

Sympathiae pulmonum cum encephalo generalis causa.

Iam vero ad morborum cerebri actionem in pulmones transeundum est, quaeriturque causa, ob quam fiat, vt morbos inter cerebri & pulmones sympathia obtimeat? Dictum est in superioribus, encephalum cum pulmonibus, tam ob influxum fluidi neruei in musculos, respirationi inseruientes, quam ob refluxum sanguinis a capite, per venas cerebri producendum, consentire (§. XV.). Siue ergo fluidum nerueum ob cerebrum adfectum deficiat, siue eius influxus in musculos, respirationi dicatos, impediatur, siue eiusdem influxus minus rite contingat, siue denique refluxus sanguinis a capite per venas nominatas (§. XII.) rite non fiat, necesse semper est, vt a vitio encephali modo grauius, modo mitius vitium in pulmonibus oboriatur (§. XV.). Verum & haec generaliora ad specialiora quaedam adplicari debent, vt illa eo magis perspiciantur.

§. XXII.

Respiratio tarda & profunda in phrenitide.

Phrenitis, probante Pathologia, ingentem sanguinis congestionem, factam versus encephalum, febrimque valde impetuosam exposcit. Quoniam nunc ingens talis congestio, versus caput directa, exsistere vix in hoc casu potest, quin notabilior simul sanguinis a capite refluxus subsequatur (licet verum sit, quod sub phrenitidis impetu, ob vasorum obstructionem, refluxus sanguinis eius affluxui ex aere proportionatus non sit), quoniam porro venae sanguinem ad cor dextrum ab encephalo deferunt, hinc ad pulmones propellendum: sequitur, sub phrenitide sanguinis copiam, naturali longe maiorem, circa cor colligi debere, quae iam absque mora ad pulmones vehi deberet, si inde non laederetur respiratio. Quum autem collecta haec sanguinis quantitas naturalem longe superet, atque pulmones determinatam tantum sanguinis copiam recipiant: tale in hoc casu compareat incommodum necesse est, quale in pulmonibus a confluxu sanguinis solito maiori, a viribus consue-

ris, inspirationem cientibus, non superando suboriri deprehenditur; ergo *suspirium* (*Illustr. de HALLER Elem. Physiol. corpor. hum. Tom. III. Libr. VIII. Sect. IV. §. XXX.*) seu tarda & profunda inspiratio (*idem l. m. c.*), simili subsequente expiratione coniuncta. Quare sub phrenitide tarda & profunda comparebit respiratio. Verum aliter etiam respiratio tarda & profunda, phreneticis competens, accipitur, quam ob rem verba *Perill. v. SWIETEN*, quae adducantur, digna sunt. Ita enim loquitur *VIR PERILLVSTR. (Commentar. in Aphorism. Boerhavi Tom. II. §. 773. pag. 593. n. 3.)*: *Diu manent (phrenetici) antequam aërem hauriant, sed runc valide inspirant, & expirant, atque iterum longo tempore morantur, antequam de nouo respirent. Haec est illa respiratio, quam magnam & longo temporis interuallo factam vocat HIPPOCRATES---*. Talis equidem respirationis causam in cerebelli compressione sitam esse arbitratur *Perill. v. SWIETEN l. c.* Quum autem ostensum sit (*Illustr. de HALLER l. m. c. Tom. IV. Libr. X. Sect. VIII. §. XXI.*), neruorum in actiones vitales imperium non solum cerebello adscribendum esse: dubito, an allata dicti phaenomeni explicandi ratio cum veritate consentanea statui queat. Credo itaque in euoluenda huius phaenomeni causa tam cerebrum, quam cerebellum respici oportere. In crescente enim successiue phrenitide, neruorum medullosa pars, omni hic membrana, qua, tamquam aegide quadam paululum ab iniuriis externis defendi potest, destituta, comprimitur facili, vel ipsa fluidi neruei secretio praepeditur, quibus dein fit, vt in neruis, hinc iis etiam, quorum ope pectus ampliatur & contrahitur, necessarium ad musculorum motum fluidum deficiat, vnde rara demum proficiscitur respiratio (§. VII.). Atque hinc etiam semel determinata respiratio profunda fit necesse est. Quando enim, collecta successiue sufficiente pro qualicunque pectoris dilatatione spirituum in musculis, inspirationi inseruientibus, copia, inspiratio efficitur: haec, ob aëris imperium atque locorum, ob immittum fluidi neruei influxum debilitatorum, minorem resistentiam, diutius continuatur, eandemque dein, ob pectoris contractam debilitatem, profundior etiam subsequi debet exspiratio. Probabilis haec huius phaenomeni explicatio eo valde confirmatur, quod, comparente eiusmodi sub phrenitide, respiratione, pulsum etiam adsit paruitas (*Perill. v. SWIETEN l. m. c.*), notante id iam *GALENO*, vnde ad actionum vitalium debilitatem certo certius concludere possumus.

§. XXII.

Vitia respirationis in apoplexia, syncope, affectibus soporosis, epilepsia, tetano & melancholia explicantur.

Vitia respirationis, in aliis morbis comparentia (§. II.), explicantur facili, neque, quum ab aliis iam eorum facta sit mentio, longum requirunt sermonem. Quum scilicet in apoplexia & syncope spirituum influxus in musculos impeditus sit, quum in epilepsia musculus conuulsus sit, quum denique ad eiusmodi

mor-

morbos tetanus ex parte quoque pertineat: patet, cur in apoplexia operosa, in syncope obscura, in epilepsia suffocatoria cum spuma atque in tetano tandem difficilis obtineat respiratio? Quum porro in melancholia, tam ob spissitudinem, quam ob congestionem sanguinis, fluidi nerui separatio inque vasa nervosa influxus satis notabiliter impediuntur, atque praeterea sanguis, ob insignem, quem contraxit, lentorem, pulmonum actioni valde renitatur: ratio adparet respirationis anxiae, suspiriosae & laboriosae, sub melancholia comparentis (§. II.). Quoniam tandem cum laboriosa respiratione sub somno stertores plerumque connexi sunt, & affectus soporosi ob neruorum compressionem respirationem laboriosam reddere valent (per anteced.): respiratio stertorosa sub affectibus soporosis sua non destituitur possibilitate.

§. XXIV.
Causae horum phaenomenorum accessoriae.

Quae supra iam (§. XX.) de accessoriis consensu cerebri cum pulmonibus causis adduximus, ea & hic de consensu pulmonum cum cerebro repetenda sunt. Nullus enim in corpore nostro sensibus patens producit effectus, cuius simplex minusque composita existat causa. Non est ergo, cur miremur, quod vitia respirationis, in §pho anteced. adnotata, fere numquam solum ab istis, quas ibi enarrauimus, causis procreentur, verum potius ab aliis, simul accedentibus, diuersimode laedendae respirationis causis magis exacerbentur. Quum has enarrare mei non sit: vnicum tantum exemplum, modo dicta corroborans, adferam. Diximus §pho anteced. causam, quae efficit, vt in melancholicis subiectis respiratio anxiosa, laboriosa & suspiriosa deprehendatur. Vera est haec causa, caue autem existimes, eandem esse vnicam. Adeo enim spissus humor, qualis est sanguis in melancholicis affectibus, sibi etiam relictus, talem progignit respirationem. Simili ratione in aliis casibus modo febris, modo dolor, modo dispositio, modo aliae circumstantiae attendi debent, vt denique ex pluribus hisce combinatis sufficiens demum phaenomenorum eruatur causa.

§. XXV.
Illasae sub catalepsi & nonnullis affectibus soporosis respirationis quanam subesse videatur causa?

Mirari quis posset, in tanto pulmonum cum cerebro consensu morbos cerebri possibiles esse, quibuscum satis naturalis respiratio coniuncta deprehendatur. Docet tamen experientia, in catalepsi & affectibus soporosis nonnullis hanc obtinere respirationem (§. II.), cuius phaenomeni ratio ex his probabiliter patet. Dixit BOERHAAVIUS (*Aphorism de cognosc. & cur. morb. §. 1037.*), catalepticos causam proximam esse immobilitatem sensorii communis, prout primo momento insultus se habebat, atque verum id esse, egregie, vt semper, demon-

demonstravit *Perill. v. SWIETEN* in Comment. ad h. l. Simul vero notat *Perill. v. SWIETEN* (Commentar. ad §. 1037. *Aphorism. BOERHAAVII*), non deficere sub hoc morbo fluidum nervaeum, cessare potius illud impetum faciens, atque hinc fieri, vt, mutato partium situ, catalepticus hunc, corpori inductum, statum retineat. Si ergo neque fluidum nervaeum, neque influxus eius in partes musculares sub catalepsi deficiat, verum sola potius animae conscientia pereat: catalepsis in eas actiones, quae ab animae voluntate non pendent, nullam habebit potentiam. Quomodo itaque respiratio mutari possit? Interim tamen causa catalepticae respirationis mutationem inducere potest (BOERHAAVE l. c. §§. 1040. 1041.), impediendo scilicet fluidi nervaei influxum, tuncque etiam mutabitur pulsus (IDEM l. c. §. 1039.). Quod tandem nonnullos affectus soporosos attinet: ii ideo respirationem non mutare videntur, quod eorum causa leuior nervorum est compressio, quae demum crescens respirationem mutat.

§. XXVI.

Regulae quaedam practicae.

Non quidem ego inficias eo c. l. plura me hic dicere posse. Quum vero haec inter sint partim ea, quae facillime explicantur, partim eiusmodi phaenomena, quorum fieri modum in aeternum forsitan ignorabimus: nolui iisdem immorari atque hypothesebus formandis tempus operamque impendere. Pauca tantum, satis decantata quidem, numquam tamen superflua in tanta eorum negligentia, adiungam. Quodsi nempe tantus sit mutus cerebri pulmonumque consensus: eo allaborandum est Practicis, vt in morbis pulmonalibus cerebri atque in huius morbis pulmonum habeant rationem. Quantopere itaque aer externus in curandis morbis attendendus est! Quantopere necesse est, vt Medicus practicus, in medendis cerebri passionibus occupatus, omnia medicamenta, omnia remedia euitet, quae respirationem laedunt! Scio exempla in contrarium adduci. Quis vero hanc auream plane, BAGLIVI ignorat regulam: *In Medicina multa scire oportet, & pauca agere?*

T A N T V M.



Ua 4235

ULB Halle
001 500 996

3



sb







DE
PVLMONVM
CVM ENCEPHALO
CONSENSV

EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR.

ACADEM. CAESAR. NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL. NEC NON REGIAR;
BEROL. SCIENT. ET PARIS. CHIRVRGOR. SODALI,

PRO
GRADV DOCTORIS

SOLLEMNI RITV IMPETRANDO
AD DIEM XII. AVGVSTI clb Idccclxiii.
PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR
SAMVEL HENRICVS WESCHE
BEROLINENSIS.

HALAE AD SALAM AERE BEYERIANO.